

qualibet dicta expeditione durante. In quo si nos, quod absit, negligentes aut remissi fuerimus, non teneatur idem comes se ad aliquam expeditionem disponere nec cum ea ad nos venire ac etiam in ea constitutus extunc cum suo exercitu et hominibus a nobis et nostro adiutorio recedere sine iniuria et nostra offensa qualibet, alliis tamen condicionibus et pactis propter hoc non eominus in suo robore duraturis. (10) Preterea promittimus dare consiliariis dicti comitis tria milia marcarum argenti pro media parte in proximo festo nativitatis Domini et pro alia media parte in festo purificationis beate Virginis subsequenti solvendorum et distribuendorum inter ipsos consiliarios, prout disposuerit idem comes. (11) Super hiis omnibus et singulis sibi dabimus nostras litteras sigillo nostro regio sigillatas infra mensem, postquam Deo dante in Romanorum regem fuerimus coronati. (12) Et ut in premissis omnibus et singulis ipsi comiti magis caveatur, constituimus ei obsides venerabilem dominum Henricum archiepiscopum Coloniensem, Ernestum decanum maiorem Coloniensem, Henricum prepositum Bunnensem, Ropertum comitem de Vyrnemburg et Iohannem dominum de Ryferscheyt; fideiussores vero ipsi comiti constituimus venerabilem Adolfum Leodiensem episcopum, Conradum prepositum Wormaciensem eius fratrem, Symonem comitem de Spainheim, Iohannem de Nassowe prepositum Sancti Florini in Confluentia, Gerardum scolasticum Coloniensem, Conradum dominum de Thoneburg, Euerardum eius fratrem, Reynardum de Westerburch canonicos Colonienses, Rodolfum de Ryferscheit, Gerardum marschalcum de Alftere, Danielelem de Lengsdorp, Pawinum de Hemberg, Godefridum camerarium de Bacheim, Danielelem de Ippelindorp, Godefridum de Pomerio dictum Schelart milites, Philippum de Kentnich, Wilhelmum de Buschvelt, Gerardum de Hamerstein, Hermannum de Bacheim et Winandum de Rore. Qui se pro nobis obligarunt sub hac forma, quod si aliquo terminorum predictorum negligentes essemus in solucione pecunie de octo milibus et tribus milibus marcarum argenti supradictis aut aliis seu aliquo ex premissis ipsi comiti et creditoribus suis supra narratis ut est dictum per nos promissis, quod dicti obsides moniti ex parte ipsius comitis^a infra triduum post monicionem eandem intrabunt in personis propriis opidum Nussiense¹,

a) 'comites' Or.

1) Neuss.